The Digital *Liber exceptionum* Project (https://exceptiones-project.wlu.ca)

Augustinus de quantitate anime (fol.2va)

1. Animus michi uidetur esse substantia. quedam rationis particeps. regendo corpori accommodata.

   Si autem definiri tibi animum vis et ideo quaeris, quid sit animus, facile respondeo. Nam mihi videtur esse substantia quaedam rationis particeps regendo corpori adcommodata.

   Augustinus Hipponensis, *De quantitate animae*, 13.22 (CSEL 89, W. Hörmann ed., p.158, ll.5-8).

2. Noxium illud est genus artium quo animi ualitudo sauciatur. nam et odore ac sapore mire diiudicare pulmenta. uel quotenne uinum sit. et quo lacu piscis captus sit. nosse discere. quedam est miseranda pericia.

   Noxium vero illud est genus artium, quo animi valetudo sauciatur; nam et odore ac sapore mire diiudicare pulmenta et quo lacu piscis captus sit vel quotenne vinum sit, nosse dicere quaedam est miseranda peritia; et his artibus cum quasi crevisse anima videtur, quia neglecta mente defluxit in sensus, nihil aliud quam tumuisse vel etiam contabuisse iudicanda est.

   Augustinus Hipponensis, *De quantitate animae*, 19.33 (CSEL 89, W. Hörmann ed., p.173, ll.3-9).

3. Nutus anime ad mouendum corporis pondus. neruis quasi tormentis utitur. Neruos autem uegetat. mobilioresque efficit. siccitas. calorque moderatus. contra eos laxat atque infirmat. humidus rigor. Itaque sompno. quia eum humidum et frigidum dicunt medici. et probant. menbra languescunt. atque ipse expergefactorum conatus multoque est debilior. ideoque nichil fractius et eneruius lethargicis. at quosdam freneticos. quibus uigilie. et uini uis. Et acute febres. idest tot calida. plus nimio neruos tendunt. atque durant maioribus uiribus quam integra ualitudine reluctari. et multa facere manifestum est. cum eorum corpus sit egritudine attenuatius. et exilius.

   Sed nutus animae ad movendum corporis pondus nervis quasi tormentis utitur; nervos autem vegetat mobilioresque efficit siccitas calorque moderatus, contra eos laxat atque infirmat umidus rigor. Itaque somno, quia eum frigidum et umidum dicunt medici et probant, membra languescunt atque ipse expergefactorum conatus multo est debilior ideoque nihil est fractius et enervius lethargicis. At quosdam phreneticos, quibus vigiliae et vini vis et acutae febres, id est tot calida plus nimio nervos tendunt atque durant, maioribus viribus quam integra valetudine reluctari et multa facere manifestum est, cum eorum corpus sit aegritudine adtenuatius et exilius.

Augustinus Hipponensis, *De quantitate animae*, 22.38 (CSEL 89, W. Hörmann ed., p.178, ll.6-17).

4. Reformemur ad ymaginem dei. quam nobis ut preciosissimum quiddam et carissimum custodiendam dedit. dum nos ipsos tales nobis dedit. qualibus nichil possit preter ipsum anteponi. hac autem actione nichil michi uidetur operosius. et nichil est cessationi similius.

   Quod omnino fieri non potest, nisi ad eius reformemur imaginem, quam nobis ut pretiosissimum quiddam et carissimum custodiendam dedit, dum nos ipsos nobis tales dedit, qualibus nihil possit praeter ipsum anteponi. Hac autem actione nihil mihi videtur operosius et nihil est cessationi similius neque tamen eam suscipere aut implere animus potest nisi eo ipso adiuvante cui redditur.

   Augustinus Hipponensis, *De quantitate animae*, 28.55 (CSEL 89, W. Hörmann ed., pp.201-2, ll.18-21, 1-4).